

210

208

214

204

219

199

259

159

309

109

TRACTATUS NONUS INCIPIT,

continens acta peregrinorum per mensem Novembrem et
reditum eorum ad Christianorum terras.

November tristem diem primam nobis attulit, propter casum
jam recitandum. In vigilia omnium Sanctorum circa vesperas
graviter invaluit infirmitas domini Johannis, comitis de Solms, et
advocatus medicus dominorum classis, eoque viso dixit, eum morti
fore propinquum; hoc audientes omnem sollicitudinem fecimus, ut
eam eucharistiae viatico muniremus, et misimus ad omnes ca-
pellas catholicorum, sed sanctum sacramentum, heu! nullibi reser-
vatum invenimus, nec oleum extremae unctionis. In ecclesiis
autem schismaticorum forte reperissemus, sed communicare eis in
sacramentis noluimus, quia etiam de haeresi nobis suspecti erant
illi orientales. Confessor autem suus, pater Paulus, ordinis Minorum,
audita ejus confessione impensaque absolutione plenariae
remissionis in crastinum sub missa promisit petenti infirmo sacrae
eucharistiae communionem. Instante autem media nocte post
luctuosam agoniam ad extremam horam vitae deductus est et plena
ratione sinceraque devotione in manibus sui confessoris circum-
stantibus peregrinis et orantibus obiit ab hac luce decedens ad
sedes spero beatas. Cum autem vidissemus eum defunctum la-
mentabili luctu et fletu dominum et fratrem nostrum deplanximus
moxque corpus linteaminibus involvimus et feretro impositum in

